



~~PH.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

*VI-27*  
SIGNAT. CLVCCCCXIII.

*St. Michael. alied*



A. A. M. M.  
DE SANCTORVM RE-  
LIQVIIS ET IMAGINIBUS, EA-  
RUMQVE CULTU CAETERISQVE  
eò spectantibus,  
THEMATA  
CONTRA PONTIFICIOS

Ad disputationem XXVII. in Collegio Studioforum  
Theologiae privato XXIIX Maii habendam,  
proposita

IOH ANNE RODENBURGIO ANTVERPIANO  
Respondente,  
ALBERTO VVICHGERUIO HAMBURGENSEI.



VVITTEBERGAE,  
Literis VVolfgangi Meisneri.

ANNO clj. Is. IVC.





A GENERE NOBILISSI-  
MIS, A VIRTUTIS DOCTRINÆQ;  
cultu politissimis DOMINIS

D. D. GVNDAEO & TYCHONI  
LANGENFF. NN. DANIS

&  
D. LEONHARDO TOBING  
patricio Luneburgensi

*Dominis suis, & fautoribus benevolis*

memoris observantiæ

ergo

*Johannes Rodenburgius Antverpianus*

D. D. D.



T H E S. I.



Ousq; Pontificiorum exerevit <sup>εθελοθεσια</sup>, ut non solum cultum & adorationem sanctorum Ecclesie Dei obtruserint; verum etiam illarum rerum, quæ ad sanctos qualitercunq; pertinent, h. e. reliquiarum & imaginum idololatricam venerationem posteritati superstitiosè consecrarint.

2. Cum itaq; de sanctis eorumq; cultu, non ita pridem disputatum sit, superest, ut reliquias & imagines sanctorum, & si quæ præterea cum hisce conjuncta esse videntur præsentibus excutiamus.

3. Occasionè huic controversiæ primò omnium præbuisse creditur Ethnicorum furor, qui cum corporum resurrectionem & glorificationem non agnoscerent, unà cum Iudæis & Samaritis omnia promiscuè cadavera tanquam immunda, adeoq; propter foetorem abominanda exhorruerunt; unde & Barbari ea dilanianda devorandaq; caribus objecerunt. Cyril. lib. 10.

4. Hi vero, tametsi de omnibus defunctorum corporibus admodum irreverenter sentirent, nihil dum tamen de sanctorum corporibus speciatim decernere potuerunt. Sectatores interim & q. successores quosdam in mediâ etiâ Ecclesiâ reliquere, eousq; temeritatis progressos, ut Basilde quodam docente martyriū pro Christo subeundum non esse, martyres Domini contemnerent, quorum Martyria dehonestabant in tantum, ut ipsas quoq; eorundem defunctorum reliquias sepelire vetarent, nec dubitarent sepultas jaeruere, atq; in favillâ redactas in profluentem dispergere. Euseb. lib. 5. c. 1. & lib. 4. c. 15.

5. Unde factum, ut, sicubi insignium martyrum reliquiarum humarum extarent, conventus ibidem Ecclesiasticos solenniter agitarint, recitatis inibi plerisq; ipsorum veritatis testium certaminibus, quò videlicet sequentium animi ad prædecessorum viam exemplis insignibus suscitarentur, quemadmodum loquitur Ruffinus.

6. Quamobrem non isthoc præcisè contriverti putemus, an sanctorum reliquiarum abjiciendæ sint, an potius in honore & precio à Christianis fidelibus habendæ? quemadmodum Costerus innuit. αφαιρωσις τῶν μὴ ζητωμένων.

7. Sicut ne illud quidem nos attingit, quod autor lib. de dogmatibus Ecclesiasticis c. 37. scriptum reliquisse ab eodem commemoratur, nimirum, si quis sanctorum reliquias non honorandas esse dixerit, illum non esse Christianum, sed Eunomianum. In Enchir. c. 13. p. 493. p. 395.



8. Fatemur enim reliquias sanctorum, quippe, quæ dum viverent, templa Spiritus sancti, & mystica Christi membra fuerunt, non tantum honorificè sepeliendas, verumetiam reverenter habendas & tractandas esse, idq; propter spem resurrectionis, & glorificationis in altera vita.

3. Reg. 13.

7. 21.

4. Reg. 2.

7. 8. 14.

Act. 5. 7. 15.

Act. 19. 7. 12.

Bell. c. 3. lib.

2. de reliq.

sanctorum.

9. Fatemur item per sanctorum exuvias beneficia aliquoties miraculosa hominibus à Deo fuisse præstita, sicuti nec inficias imus eas ipsas reliquias aliavè sanctorum Dei hominum monumenta à fidelibus honorari oportere.

Act. 5. 7. 15.

Act. 19. 7. 12.

Bell. c. 3. lib.

2. de reliq.

sanctorum.

10. Deniq; nihil eorum, quæ in hac controversia ex scripturis contendit Iesuita, à nobis negatum unquam fuit. Concedimus enim nec superstitionum simpliciter, nec novum esse, transferre ossa sanctorum.

11. Postquam enim, teste Eusebio, martyrum cadavera à persecutoribus eripi Christianis cœperant, ut nec illa sepultura mandare, nec Panegyres celebrare suas Christianis superstitionibus liceret; Constantinus Magnus Zelo pietatis nequitiam damnabili ex sepulchris obscurioribus ad monumenta celebriora sanctorum Martyrum exuvias, quas gentiles pro immundis habebant, transferri curavit.

Act. 3.

Act. 3.

Act. 3.

12. Concedimus deinde Bellarmino, quod Deus non contemnat sanctorum ossa, verum ea honoret & honorari suo modo cupiat, dum per illa miracula tam insignia patravit; neque superstitiones protinus judicandos pronunciamus, si qui spe sanationis, ut hæmorrhousa, simbriam Christi fideliter tetigissent, nec reprehendendos statuimus eos, qui certatim ad umbram Petri eo modo, quo poterant, attingendam accurrebant, quin potius fidei suæ præmium eos retulisse cum ipso Iesuita libentes profitemur.

Act. 3.

Act. 3.

Act. 3.

13. His extra controversiam sepositis quaeritur an ita sanctorum reliquias honorare oporteat, ut eorum opis impetranda causa, sicuti loquitur Tridentinus Canon, exuvias illas institutis longinquis peregrinationibus invisamus, populoq; Christiano tangendas, exosculandas devoteq; spectandas proponamus, gestu item atq; animo adorabundi ante illas procidamus, ac proinde collo etiam suspensas ex devotione & fiducia erga Deum & sanctos circumferamus, iusticiæ ipsorum sanctitatisq; participes hoc pacto futuri, ob gratiam ex eorum corporibus procedentem?

14. Paullus



14. Paulus equidem Coll. 2. v. 23. universam ἰδελοθησκείων ἐπιμασκειήν  
geriem damnans, cultum certè reliquiarum à Domino nusquam in- **LOCVS I.**  
stitutum aut præceptum, sed tanquam voluntarium, & ab homi-  
nibus excogitatum, in genere gravissimè improbat, graphiceq; de-  
pingit.

15. Siquidem eo loci non solum religionem undiquaq; falsam & **Bell. l. 2. c. 4.**  
ficticiam, nec cultus tantum manifestè supersticiosos impugnat,  
quemadmodum Iesuita contendit, sed potius in eo totus est, ut,  
quantumvis illa ἰδελοθησκεία nihil fermè sint aliud, quàm inanes imò  
impie superstitiones; tamen illis ipsis verbis non tam eas describat,  
quales in se adeoq; in rei veritate sint quàm quales esse videantur,  
quos item & quales pietatis insignisq; cultus colores præferant.

16. Is enim præcipuus & maximè solennis humanæ superstitio-  
nis fucus est cum homines etiam ultro, plus quam teneantur præ-  
stare, & quasi non contenti legem Dei implevisse, perfectiorem  
quandam viam insistere satagunt.

17. In tantum igitur abest Apostolum crassas saltem & palpa-  
biles superstitiones damnatas velle, ut potius ad voluntarias obla-  
tiones V. T. quas תְּבִרָה appellat, allusisse haud injuriâ videri  
queat.

18. Tametsi interim nec à superstitionis culpa, neq; à falsæ reli-  
gionis specie reliquiarum cultum vindicare possint aut potuerint  
Romanenses.

19. Is ergo locus Apostoli, quamvis non minus cultum imaginū, **LOCVS II.**  
quàm reliquiarum disertè corvellat, in specie tamen de reliquiis  
sanctorum citra superstitionem habendis, Christus Matt. 23. v. 29.  
concionatur, ubi acriter Iudæos increpat, quod sepulchra Pro-  
phetarum ambitiosè & sumptuosè exornarent.

20. Qua in re simillima est Pontificiorum hypocritea reli-  
quiarum veneratio ambitiosæ illi tumulorum Prophetarum stru-  
cturæ & exornationi, quam scribæ & Pharisei pro captando vul-  
gi favore proq; veri cultus Zelo strenuè simulando suscipiebant.

21. Sicut enim scribæ illi cupiebant videri ac si Prophetarum me-  
moriam reverenter colerent, illorumq; doctrinam, quorum mo-  
numenta erigebant, assererent, tanquam fidi Prophetarum imita-  
tores optimiq; divini cultus Zelotæ, cum interim nihil minus  
ipsis propositum esset quam Propheticam doctrinam aut restitue-

re, aut retinere integram : Ita nostri Papicolæ à Martyrum & Apostolorum doctrina non tantum alieni, sed & infestissimi hostes ejusdem, reliquias sanctorum religioso cultu venditant non aliter ac si ipsis unà cum martyribus eadem fides eademq; prorsus causa communis intercederet.

22. Id enim hypocritis in usu est, sanctos Dei ministros & puros Doctores post mortem demum impensius venerari, nimioq; honore, ad idolatriam usq; prosequi, quos tamen vivos ferre nequibant.

23. Ita plurimi veritatis Evangelicæ Professores sua ætate contumeliosè rejecti ac protervè vexati sæpè etiam crudeliter necati fuerunt, posteritas verò, quæ cateroquin patribus nihilo melior erat, umbratilem aliquam sanctorum memoriam aut cineres martyrum (si tamen martyrum) venerata est potius, quam doctrinam amplexa.

24. Ad eundem planè modum Papicolæ nostri evanidam religionis umbram ostentat in ossibus osculandis, cineribusq; colendis eorum, quorum viventium vocibus ad insaniam agerentur.

25. Mundus enim si quando Deum ipsiusq; sanctos penitus contemnere vel saltem contra ipsos palàm insurgere non audet, hoc artificium excogitat, ut vel qualemcumq; Dei umbram pro Deo colat, vel qualemcumq; sanctorum reliquias loco ipsorum pro libitu veneretur.

26. Hinc adeò Pontificii Apostolorum & Martyrum, adeoq; ipsorum cinerum atq; ossium legitima veneratione non contenti divinos illis cultus attingunt, & quoscumq; congerant honores, non putant se modum excedere. Interea læviendo contra fideles ostendunt, qualis nam futura esset sua pietas erga Apostolos & Martyres, si hodie etiamnùm superstites, idem, quod olim, nunquam obirent.

27. Quia verò videbat Salvator ætatis suæ scribas & sacrificos laudem indidem venari apud plebem ac si essent observantissimi Prophetarum cultores, fallaciter eos ludere coarquit, idq; ideo, quia præsentibus & sibi missos Prophetas non modo repudient, sed inhumaniter etiam affligant.

28. Proinde in eo se prodit impia fictio, & crassa adversariorum impudentia, dum in cultu cinerum ossiumq; demortuorum religiosi videri appetunt, quum vivos conentur extinguere.

29. Neq;



29. Neq; tamen loci hujus acrimonia retunditur Commentario *Caster in gn.*  
illo de duplici in erigendis sanctorum monumentis intentione, al. *chiridio*  
terâ quidem amicorum, altera inimicorum hominum, qui nimirum *p. 499.*  
sepulchra hujusmodi tanquam victoriae trophæa statuunt ad glori- *B. U. c. 4.*  
am tum suâ, tum majorum suorum, à quibus sancti injustè necati *lib. 2.*  
fuerant, &c.

30. Cum .n. Christus inquit *Lucæ 11. v. 48.* Testimonio vestro,  
comprobatis facta patrum vestrorum, & c. ibi profectò testimo-  
nium hoc non sumit Christus ab eo fine quem illi sua opinione in-  
tendebât, sed ab eo potius, què Pharisei facto & re ipsa adeoq; ipsis  
vitæ suæ moribus intendere videbantur, ut qui patrum exemplo  
contra veros & genuinos Dei servos furerent ac proinde quamvis  
pietatis studium prætexerent, revera tamen Prophetarum monu-  
menta tanquam vexilla quædam avitæ crudelitatis erigerent.

31. Tametsi interim scribæ & Pharisei operosa illa Prophetico-  
rum tumulorum structura idipsum directè (& quidem suameti-  
psorum opinione) neutiquam intendebant uti adversarii volunt.

*LOCVS III.*

32. Quocirca cum præposterum illud exuviarum sanctorum de-  
siderium rarissimè superstitione careat, ac proinde mater esse so-  
leat idolatriæ (vix enim haberi aut attrectari possunt, quin statim  
sequatur veneratio cui modus difficillimè adhibetur, quin statim  
honor Christo debitus ipsis tribuatur) idcirco Deus Mosis corpus  
ipsemet abscondisse legitur.

*Deut. ult.  
v. 6.*

33. Caterum causam, quare incognitam esse voluerit Deus se-  
pulturâ Mosis, esse *ἰδωλομανίας προσφύλαξις*, ne videlicet à Judæis  
pro Deo coleretur, res ipsa loquitur teste Chryostomo *Hom. 5. in*  
*Matth.* cui & ipse Bellarminus h. l. subscribit.

34. Neq; hic silentio præterire possumus cavilla quædam quibus  
hoc testimonium adversarii eludere potius quam elidere nituntur.

35. Negat Bellarminus consequentiam, dicens non idem pericu- *Lib. 2. de*  
lum adorationis esse in sanctorum reliquiis quod in exuviis & se- *sanctis c. 4.*  
pulchro Mosis fuit, quia nimirum propensior fuerit ad idololatri-  
am ille populus (quâ scilicet suorum Papicolarum plebecula) quip-  
pe qui vitulos adorârunt aureos.

36. Atqui certè non vitulos tantum, sed & asinos eosq; non au-  
reos, sed ligneos in Papatu adoratos fuisse, unâ cum aliis partim  
ligneis partim ferreis supellectilibus, formulæ precationum solen-  
niter



niter adhibitarum apertissimè, loquuntur, ut hac ratione periculum superstitionis nihilo levius etiamnum ab istiusmodi crepundis, quam à Mosis corpore extimescendum fuerit.

d. l. c. 4.

37. Quo loci & illud notandum, quâ ratione præposterum reliquiarum cultum ac desiderium ab Idolatriæ periculo absolvat Iesuita, dum inquit, periculum Idolatriæ inde nullum esse, idcirco, quod reliquiarum veneratio omnis idolatriæ detestatio sit; Martyres enim mortuos esse, ut idolatriam destruerent. Qui ergo Martyrû reliquias colit, indicat se gaudere de Idolatriæ destructione. Sic ille.

eod. loc. c. 4.

38. Atqui hoc ipsum de Mosis corpore similiter dici potuisset, periculum scilicet Idolatriæ nullum fuisse futurum in sepultura Mosaicâ memoriâ vel veneratione; Cultum enim reliquiarum ipsius, esse detestationem omnis idolatriæ; Moses enim vixit ad hoc, ut Idolatriam destrueret, imò ad hoc etiam mortuus, & à Iehova taliter sepultus fuit: Qui ergo Mosis reliquias coleret, indicaret scilicet, (si modo Iesuita credimus) se gaudere de Idolatriæ destructione. Id quod tamen superiori Iesuitæ assertioni de causa absconsionis sepulchrî Mosaici directè adversatur.

39. Interim vero nequaquam statuimus sanctorum si quæ sunt reliquias vel contemtim habendas, vel irreverenter & irreligiosè tractandas, sed eo illas loco & in eo precio habendas, quo eas scriptura habet. Eadem enim scriptura, quæ docet sanctorum reliquias in precio habendas, modum etiam legitimæ earum venerationis ostendit.

40. Ea vero de cadaveribus & exuviis piorum dupliciter loquitur. Primo quales ex se & per se sint, & quales sensui pateant, ut v. g. Job 13. v. ult. & 19. cap. item c. 7. v. 5. Matth. 23. v. 27.

41. Demde. Quales sint ex gratia in fide & spe coram Deo, ut Ps. 34. Ps. 26. v. 27. Ps. 56. v. ult. Matth. 9. v. 24. Apocal. 14. v. 13.

42. Cum enim in V. T. tactus mortui contaminaret, Christus in N. T. Carne nostra mortali assumpta tangens mortuos, ipsa cadavera nostra sanctificavit nostraque sepulchra per se immunda (si semet in novo monumento repositus) gloriosa reddidit, angelis indidem apparentibus, iisque candido vestitu (innocentiæ videlicet & sanctitatis sacramento) indutis.

43.

43. Porro, ut ad imaginum cultum transeamus, ex eo, quod cul- *ἡ φαιγεσις*  
tus mentionem facimus, facile est intelligere non id præcipuè à *μη ζητομε-*  
nobis intendi, ut omnis prorsus pictura vel sculptura imaginum *ωου.*  
qualiumcunq; illicita divinoq; jure prohibita censeatur: Fatemur *Exo. 31 & 35*  
enim artem pingendi & sculpendi bonam esse, à Deo quippe pro-  
fectam.

44. Fatemur quoq; imagines Christi & sanctorum non tantum  
non esse prohibitas simpliciter, verum & in templis tolerari posse.

45. Fatemur insuper non integras solum historias, verumetiam  
imagines Christi & sanctorum separatas & solas in basilicis licitè  
collocari, quantisper nimirum aut cultus superstitio aut necessi-  
tatis opinio nõ accesserit: dum modo non sint ejusmodi Icones il-  
li, ut d'ci possint idola h. e. imagines, quæ vel pro Deo habentur,  
vel quæ representant tanquam Deum, eam rem quæ non est Deus.

46. Quod si etiam species illæ visibiles quib. olim Deus præsen-  
tiam suam patefecit historicè pingantur, si item figuræ divinarum  
visionum Apocalypseos coloribus exprimantur non admodum re-  
pugnabimus: tamen si facillimus hac in parte sit lapsus, neq; res o- *p. 3. exam.*  
mni periculo careat, teste Chemnitio, ipsoq; adeo Bellarmino *de imaginib.*  
fragante. *Hic enim tantum defendimus non esse in unum versum damnandas lib. 2. de i-*  
*ejusmodi imagines.* *maginib. san-*  
*ctorum c. 8.*

47. Cæterum ut eo melius teneamus quidnam per debitum ho- *το ζητομενορ*  
nore & venerationem sanctorum iconibus impertiendam intel-  
lectum velint Tridentini abundè seipsum interpretatur concilium,  
dum in hanc rem allegat secundæ Synodi Nicænæ decreta, quæ  
conceptis verbis expressè volunt: sacras imagines non tantum ha-  
beri posse ad usum historicum, sed illas ex mandato divino in Ec-  
clesiis necessarias esse, imo venerandas, salutandas, osculandas, co-  
lendas & adorandas, cereis etiam, suffitu, & similibus honorandas,  
&c.

48. Vtrumq; ergo negamus, & statuimus, *δι οστ' ομοε*  
*τ' ἡ ζητομενορ.*  
imagines neq; ex man-  
dato divino in Ecclesiis necessarias, nec tamen ratione, quam Nicæna Synodus  
prescribit, colendas aut adorandas esse.

Quia verò subinde excipere solent adversarii, prætendentes  
se nec fiduciam in imaginibus collocare, nec iis divinos honores  
deferre, sed potius per imaginem & in illâ sanctos colere, & invo-  
care, agè id ipsum sequentibus excutiamus.

49. Quod si Deus nec potest, nec debet legitimè coli in imagi-  
ne, sancti ergo, si maximè colendi essent, non essent tamen colendi  
in imaginibus suis. Major hæc ab ipso concessa Bellarmino apud  
lib. 2. c. 11. ipsum legitur.

50. Atqui Deum, licet verum, in imagine tamen colere nefas est:  
hoc assumptum potissimum erit nostræ hujus ἐργασίας κριτικῆς.

Ergo, &c.

Bell. lib. 2. c. 11. 51. Excipiunt h. l. Catholici & respondent in scripturis solum  
de imag. c. 7. reprehendi idolatriam h. e. cultum imaginum, quæ pro diis habentur,  
sanct. c. 7. tur, vel per quas tanquam Dii coluntur ii, qui verè dii non sunt.

52. Quod si jam probemus Israelitas in imaginibus, & per eas  
coluisse vel saltem colere voluisse verum illum Deum Israelis, non  
autem exterorum Deorum quempiam, satis hinc evictum fuerit,  
ne Deum quidem in imagine aliqua, multo minus sanctos hoc pa-  
cto coli debere, si maximè cæteroquin colendi essent, quod tamen  
falsum esse ex peculiari disputatione de cultu sanctorum non ita  
pridem habitâ constat.

53. Cum autem omnem honorem imaginis transire ad prototy-  
pum perpetuò ingeminent Papicolæ, si ipsum πρωτότυπον (sancti  
videlicet) religiosè coli non merentur, multo minus eam devotio-  
nem, (ut loqui placet Bellarmino) merebuntur imagines, ut etiam  
d. l. c. 18. prostratione ad terram honorandæ sint, (Bell. d. l. c. 12.)

54. Admissa ergo duplici illa idolorum specie, alterâ quidem si-  
ne certo alicujus Dei nomine, alterâ cum certo nomine, ut Baal,  
v. 3. Moloch, Astaroth, Chamos, &c. Iudicum certè 17. dicitur Mi-  
chæ mater non Dæmoni nec ficticio cuiquam Numini sanctificasse  
seu consecrasset argentum istud, quod erat mille & 100 siclorum  
sed potius יהוה Domino illi, qui se hoc nomine patribus primi-  
tivis revelarat. Et tamen subjicit textus pecuniam eandem, (Ieho-  
væ scilicet sacram) faciendi sculptili & fusili destinatum fuisse.

55. Ex quo facilè liquet in illo fusili & sculptili seu potius ad si-  
mulachrum illud argenteum, Michæ matrem voluisse illum ipsum  
colere, cui pecuniam illam devoverat: Atqui Iehovæ eam se de-  
vovisse manifestè asseverat v. 3. Eundem ergo Deum, qui dicitur  
Iehova, h. e. ipsissimum cœli & terræ creatorem, in & per statu-  
am illam argenteam colere Michæ mater præsumebat.

56.

56. Quod similiter testatur v. ult. illius capitis vox illa epiphonemata Michæ dicentis : *Nunc novi I E H O V A M benefacturum esse mihi, eò, quod est mihi hic Levita in sacerdotem.*

57. Nam & ex ea tribu sacerdos creatur, quæ alioquin ipsius & solius Iehovæ mandato, divini cultus ac sacrificiorum operis vacare iussa fuerat ; Et, cuius benedictionem ex illâ cultus formulâ sibi promittebat Michæ, eum ipsum & non alium se colere dubio procul opinatus fuit : Atqui certè Iehovam sibi propterea benefacturum gratulabundus exclamat. *Nunc h. e. ex quo Iehovam istiusmodi religiosi cultus officiis prosequi incipio, &c.*

58. Idem clarius quodammodo sequenti cap. innuitur. Danitæ *LOCVS II.* enim pernoctantes in domo Michæ, dicunt sacerdoti sive Levitæ *c. 18. v. 5.* ipsius : consule Deum, quæsumus, an prosperè cessurum sit iter nostrum ? Deum hic consuli petunt, & quidem eum, cuius cultum sacrificulus ille profitebatur. Is vero, qualem se Deum colere profiteatur, declarat responso suo, dicens : *I E H O V A adest itinere vestro, vel coram I E H O V A est iter vestrum, &c.*

59. Eum igitur Deum Flamen ille in simulachro fusili coluit, à quo deinceps prosperitatem Danitis promittebat, quam tamen à *v. 6.* Iehovâ ipsis pollicitus legitur. Iehovam itaq; in & per fusilem statuam colendum sibi proposuerat Levita ille.

60. Quid ? quod Iudæi quoq; non tam simulachra pro Diis habuerunt, quam verum se Deum in illis colere arbitrati sunt. Id e- *LOCVS III.* nem testatur voces illæ totius populi : *Isti sunt Dii tui, Israel, qui te de terra Aegypti eduxerunt ; & ibid. v. 5. Aaron indicturus di-* *EXO. 32. v. 4.* em festum in honorem vituli præconis voce edici jubet : *Cras erit solennitas I E H O V A E.*

61. Neque interim falsò dicti sunt Iudæi servisse Diis alienis ob id, quod se in idolis Verum Deum coluisse putarent, ut Bellarmi- *Deut. 32.* nus ineptit ; quoniam, non ex ipsorum sensu sed è re ipsius veritate *v. 17.* cultum illorum adulterinè æstimare ac denominare Spiritui sancto placuit, quippe qui non solum verum *Bell. c. 13. d. i.* *DEVM* colendum præcipiat, sed legitimam quoq; rationem ejusce colendi præscribat ; à qua, quotiescunq; receditur, toties novos quasi Deos fabricari non immeritò scriptura pronunciat : ficto namq; & mutato cultu, fingi quodammodo & mutari Deos necesse est.

62. Sed nec vitulum istum, Deum Israëlis Israelitæ appellabant eam ob causam, quod scilicet putarent, se ex AEgypto liberatos non à Deo Mosis, sed ab Apī AEgyptiorum Deo (ut ringit Bellarminus d. l.) Id enim beneficii à Iehova se accepisse tum ipsi meminerant, tum Aaron indicta ipsis IEHOVAE solennitate in memoriam revocârat.

63. Quomodo autem ab Apī AEgyptiorum idolo se dimissionem illam impetrasse suspicari poterant, quandoquidem egressus ipsorum ex AEgypto cum summâ AEgyptiorum afflictione coniunctus fuerat? præsertim cum non ignorarent Israelitæ, Deos AEgyptios, & imprimis Apim, nequaquam iniquiores fore cultoribus suis AEgyptiis, quam hostibus & contemtoribus suis Israelitis.

64. His ita se habentibus, probare institutum nostrum alia etiam ratione possumus. Nec enim tum solummodo idololatria committitur, si quando idolum relicto Deo adoratur, sed tum quoq; quando, unâ cum Deo adorantur idola sive imagines.

65. Iam ipsimet Pontificii imagines colunt & adorant, si non relicto prorsus Deo, at saltem unâ cum Deo, (si tamen Deo ritè quippiam coadorari potest) quocirca ab Idolatriæ crimine se nunquam satis tueri poterunt.

66. Propositio, vera est tum ex se, tum ex concessione & hypothesi adversariorum [Bellar. c. 24. d. l.]

67. Assumptionis totidem ferè possunt dari probationes, quot formulæ preclararum, quas coram imaginibus demurmurant, ut v. c. ante expressam Veronicæ faciem ita blasphemandum præcipiunt: salve sancta facies impressa panniculo, nos ab omni macula purga vitiorum atq; nos consortio iunge beatorum; nos perduc ad patriam, *ô felix figura*, ad videndum faciem quæ est CHRISTI pura, &c.

98. Hinc & solenne illud Papicolarum celeuma: Ecce lignum crucis, venite adoremus. Item bella ista precula: O crux lignum triumphale, Mundi vera salus vale, inter ligna nullum tale, fronde, flore, germine; Medicina Christiana, salva fanos, agros sana, quod non valet vis humana, fit in tuo nomine, &c.

69. Cæterum notabile Pontificiæ perversionis argumentum est, quod

quod Thomas Aquinas 3. p. sum. quest. 25. artic. 3. & Aienfis 3. p. quest. 30. artic. ult. ; itemq; Cajetanus d. l. in Thom. Bonaventura, Marsilius, Dyo. Carthusianus, Capreolus & alii in 3. l. dist. 9. honorem sive cultum λατρείας imagini CHRISTI tribuunt, quem tamen ipsum humanæ CHRISTI naturæ, etiam quatenus in λόγος personaliter assumta est, unanimi blasphemia derogatum volunt.

70. Nam quod distinctionem illam δειξίας & λατρείας attinet, de ea superioribus disputationibus dictum est prolixius; quicquid tandem dicis causa in hanc sententiam afferant Romanenses, conceptæ præcularum formulæ, paulo antè repetitæ ipsissimam λατρείαν [quam vocant] omnino sapiunt; ut hac in parte illa protestatio, quæ aliàs de se nulla est, ipsi facto planè sit contraria.

71. Libet tamen in gratiam Bellarmini ita concludere: c. 7. d. l. Dicit ipse in Decalogo non prohiberi omnem imaginem, sed solum illam, quæ dici potest idolum, id est, imago quæ habetur pro Deo, vel quæ representat tanquam Deum eam rem quæ non est Deus.

72. Atqui imago Mariæ gestantis infantem in ulnis & pedibus conculcantis caput Draconis, representat tanquam Deum eam rem quæ non est Deus, cum caput serpentis illius conterere non nisi Divinum opus, ipsiusq; Dei proprium, esse possit.

73. Hæc interim formâ in templis Pontificiorum Mariæ imaginè expressam videre est, quæ tamen ab ipsis probari solet. Cæci ergo cæcorumq; duces ipsi.

74. Nihilo sanius est Costeri miscellum istud sophisma, dicentis: *Ench. p. 438.* sicut Idolatria nulla committitur veneratione imaginis, quæ in phantasia seu cogitatione formatur: sic nullam esse Idolatriam, si veneremur externam imaginem, quam oculis cernimus, &c. ex quo confestim infert omnem honorem, qui quidem prototypo debetur exhiberi etiam imagini posse, &c.

75. Id enim simpliciter invertimus, & quemadmodum illud, ita & hoc ipsissimam esse idolatriam indubitanter asserimus.

76. Et quia Bellarmino alicubi ex propositione argumentum ducere libuit hunc in modum: *Sicut se habet imago ad suum exemplar; c. 25. d. l. ita se habet cultus imaginis ad cultum exemplaris; Vnde concludit ima-*

gini deberi cultum exemplari aliàs debitum, imperfectum quidem illum, qui tamen ad latrariam, ut imperfectum ad suum perfectum reducendus sit: nos indidem oppositum conclusionis Bellarminianæ non incommodè extruimus.

77. Stante ergo majore illa, sicuti se habet imago ad suum exemplar, &c. Subsumit illico Robertus, imaginem esse ipsum exemplar analogicè, & secundum quid, nam, inquit, homo pictus est homo secundum quid, & analogicè, &c. Contra: Imago est ipsum exemplar non tam analogicè, quàm æquivocè.

78. Imago enim nec fuit, nec erit unquam homo, sicuti cadaver hominis, quod ipsum tamen hominem esse analogicè sive reductivè potius, quàm æquivocè, nimis ἀναδιδύτωσ; statuitur.

79. Quare, cum imago nonnisi æquivocè ad suum exemplar sive ἀναδιδύτωσ; reducatur, si accuratè loqui velimus, cultus igitur imaginis ad cultum exemplaris nonnisi æquivocè reducetur; æquivocè ergo colendæ erunt imagines (etiam ex sententia seu potius hypothefi Bellarminiana) h. e. neutiquam.

80. Cæterum, quæ de imaginibus & reliquiis dicta sunt in genere, de cruce etiam, quatenus vel imaginis vel reliquiarum vicem obtinet, intellecta volumus. Restat signum crucis quod in fronte vel aere pingitur vel super quascunq; res, digito exprimitur.

Bellarminus  
d. l. c. ult.

81. De illo audacter affirmant Pontificii quod signum crucis ejusmodi operetur mirabilia, non ex virtute sua naturali, quam habeat ut figura quædam, nec ut signum pacti cum Dæmone;

Sed ut signum divinitus institutum, de quo, ut valde amigimus, ita problema esse jubemus; Id ergo primo quaeremus.

2. Quaeremus item an crucis figura in aere formata terreat & verè fuget Dæmonem, ita ut Dæmon timeat & fugiat, quomodo canis fugit lapidem & baculum quo percussus fuit, ut Bellarminus loquitur d. l. cap. ult. an vero timorem & odium istud fingere possit aut soleat Satan?

3. An crux ejusmodi pellat morbos & omnia mala, & an ex opere operantis, h. e. ex devotione hominis, ejusmodi vim habeat, idq; eo modo, quo vim habet oratio? Idem ibid.

4. An signum istud crucis contra Diabolum opponere, sit opponere meritum



ritum passionis Christi? h. e. invocare Deum per Christi merita con- c c  
tra Diabolum? item an effectus in tali casu ex fide & fiducia erga De- c c  
um potius, quam ex superstitione oriatur? Idem ibid.

5. An Pontificii benedicentes hoc pacto aquam, oleum, ramos, Candelas, c c  
rectè hoc modo commendent res eas Deo, precantes eum, ut velit il- c c  
las hominibus esse salutare, utq; per ea tanquam instrumenta nos ju- c c  
vet? Id. ibid.

6. An aliqua rebus accedat sanctitas, cum signantur cruce? Idem ibid. c c

81. De adiaphoris porrò, h. e. rebus suâ naturâ indifferentibus  
observetur præceptum istud Apostoli Rom. 14. v. 13. ne videlicet  
nos invicem in usu rerum mediarum judicemus, sed libertate Christiana  
fruemur, cum *καλοφορία* quidem fidei propriæ, attamen sine peri-  
culo scandali alieni.

82. Interim tamen attentè opera danda ut non tantum, ab omni  
veritatis abnegatione, sed & omni specie ejus mali abstineamus,  
neve cum infidelibus jugum ducamus, 2. Corinth. 6. v. 14. qua in  
re notabile est Apostoli exemplum. Gal. 2. v. 5.

83. Aliter autem cum infirmis & rudibus, quiq; ignorantia istius,  
saltem temporis respectu, justam vel probabilem causam ha-  
bent, agendum, aliter verò cum hypocritis, præfractis & perti-  
naciter errantibus, itemq; manifestis hostibus & persecuto-  
ribus.

84. Contra hos namque dum libertatis Christianæ causa, dum  
confessionis edendæ negotium agitur, nihilò levius, quam de to-  
tidem religionis articulis luditur. Hinc illud Nazianzeni: *ἄλλοι  
μὲν περὶ τῶν δογμάτων παλιτάσων; ἡμῶν δὲ τοιαῦτα παίζουσιν ὡς  
σφαλες.*

85. Aliàs (extra hunc scilicet casum) illud Augustini meritò lo- *Epist. 8.*  
cum habere debet: *Quod neq; contra fidem, neq; contra bonos mores in- c c  
jungitur, indifferenter est habendum & pro eorum, inter quos vivitur, so- c c  
cietate servandum;* optimum in hac itē parte B. Ambrosii consili- c c  
um quòd Augustinus celebrat epistola 86. ad Casulanum: ad quā c c  
cunq; Ecclesiam veneritis, ejus morem servate, si pati scandalum c c  
non vultis aut facere, &c. tandem de hisce & similibus disputatio- c c  
nem ita jubet moderari; *Ne tempestate contentionis serenitas charita- c c  
tis obnubiletur.*

COROL.



## COROLLARIA.

I.

An propterea religio sit, verum Martyris corpus colere, quia falsum colere superstitio sit? Bell. lib. 2. c. 3.

II.

An omnes, qui imagines idolatricas legitimo modo abolent, dicendi sint Iconomachi, vel Iconoclastæ?

III.

An imagines idololatricæ abolendæ sint apud illos, qui jam rectè sunt instituti?

IV.

An imagines Cherubim fuerint adoratæ ab iis qui arcam adorabant? & an arcam ullius piorum adorarit? Bell. l. d. c. 12.

V.

An imagines venerandæ sint eo honore, quo sacras literas prosequimur vel aliàs res cultui divino consecratas? Bell. c. 12. d. 1. & c. 24. ibid.

VI.

An ab imagine serpentis, morborum curatio petita fuerit, Num. 21. v. 9? Cost. in Ench. p. 442.

VII.

An colentes imaginem idem agant quod illi, qui ad nomen Iesu caput aperiunt? Cost. in Ench. p. 438.

IX.

An templa Christianorum ad sacrificandum erecta sint, vel erigi debeant ad offerenda sacrificia proprie sic dicta, ita ut inde appellationem suam sortiantur? Bell. c. 4. lib. 3. de cultu sanctorum.



Theses de animarū statu post mortem.

Theses de Ecclesiā triumphante.

De sanctorū reliquiis et imaginibus eorū cultū, ceterisque eo spectantibus.

Them. Theol. de Sacramentis in gre.

De notitiis Dei et voluntatis ipsius humanis animis nā infitis et disciplinā ex cultis, D. Hofmanni. B.

Thesi. de iustificatiōe hominis peccatoris coram Deo D. RUNGII.

Prop. de iustificatiōe gtra Flacianos Joh. Ferinarii.

Assert. Theol. de iustificatiōe hoīs coram Deo, Polyc. LYSERI.

Prop. repetentes summa dtra de iustitiā fidei ab opibz, M. Helsen, & M. Berzii

De Ecclesiā triumphante in caelis disputatiōnes 2, quā una de sanctorū in vitā aeternā beatitudine agit M. Volkmari, altera de sanctorū cultū agit, M. Cameri.

Disp. de Providentiā Dei Wolfii.

Disp. 1. de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. in quā explicant ps. 3.

1. qd fit qoz Magoz, Babil, Mesob. 2. qd p hoc vocab. Turca significant  
3. qd Turca sint flegella quō Deo castigat Ecclesiam. D. Salom. GESNERI.

Disp. altera de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. tota in refutandō duobz cap. posita, qd GESNERI.

Disp. 2. de Turcā, in qua tractat 1. de tempore ultima irruptionis Turcā in Ecclesiam. 2. de populo et loco ubi ista evenient. 3. Cuias ob cūas Turca Christianis immittat. 4. Cuiā rāone sit repri. mēdg. 5. Quo pacto et qbz armis tandem medicis ista fūditū sint delendi, qd GESNERI.

Prop. de Ecclesiā, HUNNII.

Thesi. de Predestinatiōe D. FREDERI.

Dtra de reali communiōne idiomatum unā Personā Christi, M. Berndes.


Dtra de Baptismo capite papia D. RUNGII.

Thesi. de Sacramentis in gre GESNERI.

Them. Theol. de orali corporis Christi in cenā manducatiōe dictibz Eucharisticis D. GESNERI.

Them. Theol. de communiōne idiomatum reali tertii grū, D. GESNERI.





24.

*A. A. M. M.*


DE SANCTORVM RE-  
LIQVIIS ET IMAGINIBUS, EA-  
RUM QVÆ CULIU CAETERIS QVÆ  
cò spectantibus,

THEMATA

CONTRA PONTIFICIOS

Ad disputationem XXVII. in Collegio Studioforum  
Theologiae privato XXIIX Maii habendam,  
proposita

IOH ANNE RODENBURGIO ANTVERPIANO.  
Respondente,  
ALBERTO VVICHGERVIO HAMBURGENSEI.



VVITTEBERGAE,  
Literis VVolfgangi Meisneri.

---

ANNO clb. Is. IVC.

